ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Vir Nobilissime

Si nunquam peccat amicitia rationi iuncta, et animo obsequentissima, rectissime factum existimo, quod tam libere judicium tuum de rebus meis requiram, measque operas extemporaneas proponam. Quod si et igniculi mei te inflammarint flagrantemque effecerint, magis gaudeo, ut de tuis ignibus magis calere queam: qui crassissimo sub aere natus, mihique soli relictus, tepescere, nedum flaccescere videor.

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo, inquit ille: Ego autem secundus post te. O coelestes flammas tuas et divina carmina! quibus me, vel congelatum, adeo incendere valuisti, ut calorem cohibere non potuerim. Nempe tam dexterè versificatus es, ut maximè appositum summa Architectis, natalitio carmine Campenium delineaveris, exhibueris: verissimamque Ideam τῆς κεδικολάτυς Heroinę, nihil κόμψαλος πονηρὲς habentem, quibus ipsis delineaveris. Si igitur nos et quaerenda pomula homini qui virtutem habet, ut Varro pronunciabit: injustè eam oleis foecundissimis missam aestimaverim. Ipsaque toga non cordylae sed thymo; nec pueris, sed viris debetur. Omnia vero tibi vel ipse Apollo debet: quanto magis Apollinis mystae. Post te autem, et sub alis tuis poetaster ad Apollinem venio, vel ad Apollinis filiam Heroinam nostram; tuisque flammis plusculum calens, ardere non nequeo. Cum itaque meos versus tuo excipe patrocinio, et Heroinae nostrae offer; uti et cantum ipsum eodem furore natum. In quibus omnibus plus aestimari velim quod volui, quam quod potui: quippe qui nil libentius, in scena vitae, quam ~~quod potui~~ Tyronem agere malim: ut animo discendi cupidissimo, et nunquam saturo, quantum pote satisfaciam. Unde et perplacet quod Magistrum Francum excitaveris, jam nimium discipulo se subtrahentem. Quidquid porro in Doni libris tibi opportunum videro, lectione resumpta significabo; tuaque beneficia in me collata Patrone optime, constantissimo amore, atque obsequio demereri non desinam. Vale Harlemi XV feb. CIϽ IϽC XLIIII.

Tuus servus.

Heroinae nostrae adjunctam Personam Belgicam, si placet, communica; et quid tibi, illique de his videatur, per occasionem significa.

Jo. Alb. Bannius

15/2 1644

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bannius) 35
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3465

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bannius) 35
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3465

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bannius) 35
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3465

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bannius) 35
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3465